



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

4 Papae totus mundus est territorium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

cudes eas acquireret, quarum curam, tum Petro, tum Petri successoribus committebat, & S. Leo *sermon. 2, de anniversario Assumptionis sue ad Pontificatum*, manet, ut, dispositio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine Petre perseverans suscepta Ecclesie gubernacula non reliquit, perseverat vicelicet Petrus, & vivit in successoribus suis.

Nullus enim est, nec fuit unquam, qui se Petri successorem asseruerit, vel pro tali sit habitus, prater Rom. Pontif. & cum Christus instituerit in Petro Pontificatum duraturum usque ad finem mundi; pro pecudibus perpetuo pascendis constat. Papam Petri successorem esse, *cap. manet, capitulo quodcumque, 24, quest. 1.*

Romanum Pontificem Petro succedere in Ecclesiastica Monarchia, tam ex divino jure, quam ratione successionis Conciliorum auctoritate Summorum Pontificum Græcorum, & Latinorum patrum, aliorumque testimoniis, & auctoritatibus, probat idem Cardin. Bellar. *de Rom. Pont. eodem tomo, lib. 2, cap. 12, 13, & usque ad cap. 22, & quamvis in cap. ego Ludovicus, 63, distinct.* ab eodem Ludovico Romanorum Imperatore appelletur Vicarius Petri, ea appellatio est impropria, vel ita intelligenda, quod exercet eandem Vicariam, quam Petrus, ut *per gloss. in clement. unic. in ver. Vicarium, de jure jur. & Navar. in comm. de lobel. & indulg. 29, not. num. 1, tom 3.*

† Et est Ordinarius Ordinarium, & totius orbis, cum totus Mundus Papæ sit territorium, *capitul. cuncta per mundum, capitul. per principalem, 9, quest. 3, & Abb. in cap. final. num. 45, de form. comp. & om-*

nes eidem parere, † ipsumque in Primatum recognoscere debent, *cap. omnes, cap. sacrosancta, & cap. de Constantinopolitana, 22, dist.*

Licet enim Carolo Magno, qui ad defendendas res Ecclesie postulatus, Desiderium Regem, Sedis Apostolicæ hostem captivum fecit, illiusque exercitum debellavit, & Sedem Apostolicam liberavit, unde victoriosissimus Romam accessit, ubi ab Adriano Papa † hujus nominis primo, honorifice susceptus, ab eodem cum universa Synodo jus, & potestas eligendi Pontificem, & Sedem Apostolicam ordinandi, Archiepiscoposque, & Episcopos investendi ei videatur concessa, ut *cap. Adrianus 2, 63, distinct.* quam Leo VIII.

† Othoni primo Regi Theutonicorum, ejusque successoribus confirmavit, & corroboravit, ut *in capit. in synodo eadem distinct.* & Reges omnes Imperio subessent, cum omnium Regum potentia † ab Imperio fluxerint, tamquam rivuli, à flumine, *gloss. penult. in dict. cap. Adrianus, cap. in apibus, 7, quest. 1, Abb. in cap. venerabilem, num. 19, ver. ex qua collige de elect. & in consil. 82, num. 4, vers. nam apud Imperatorem, volum. 1, Jas. in l. 1, num. 6, & 8, C. de summ. Trinitat. & fid. Cathol. Oldrad. consil. 69, num. 1, & universæ ditioni præsit, quæ ascendentem, & descendentem solem videt in genere suo, Auct. ut om. obed. judic. provinc. §, hæc considerantes, colum. 5, & Pupur. in rubrica, de jurisdic. omnium judic. numer. 5, & num. 6.*

Tamen Adrianus, ac Leo Imperatori concesserunt, ut Roman. Eccles. ordinaret, quo ad temporalem Principatum, qui est sub regimine Imperatoris, ut *d. cap.*